

suam, in quantum minus habet de motivo, & minus ad eum spectat ejus correctio. Sed qui alienam uxorem occidit, non impeditur a matrimonio. Ergo nec ille qui propriam uxorem interficit.

4. Præterea. Remota causa removeretur effectus. Sed peccatum homicidii potest per poenitentiam removeri. Ergo & impedimentum matrimonii quod ex eo causatur; & ita videtur quod post peractam poenitentiam non prohibeatur matrimonium contrahere.

Sed contra est quod canon dicit, ex Nicolao I. dist. xxxiiii. in Decretis: *Interfectores suarum conjugum ad poenitentiam redigendi sunt, quibus penitus denegatur conjugium.*

Præterea. In eo in quo quis peccat, debet etiam puniri. Sed peccat contra matrimonium qui uxorem occidit. Ergo debet puniri, ut matrimonio privetur.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod uxoricidium ex statuto Ecclesie matrimonium impedit. Sed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum, quando scilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit uxorem; tamen si timetur de incontinentia ejus, potest cum eo dispensari per Ecclesiam, ut licite matrimonium contrahat. Quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam cum qua mæchatur: tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod si de facto cum ea contraxerit matrimonium, dirimitur. Sed ex hoc non efficitur persona simpliciter illegitima respectu aliarum mulierum: unde si cum alia contraxerit, quamvis peccet contra statutum Ecclesie faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.

Ad primum ergo dicendum, quod homicidium, & adulterium in aliquo casu impediunt matrimo-

nium contrahendum, & dirimunt contractum; sicut de uxoricidio hic dicitur, & de adulterio, ut habitum est supra dist. xxxv. in expositione literarum. Vel dicendum, quod uxoricidium est contra substantiam conjugii, sed adulterium est contra bonum fidei ei debite; & sic adulterium non est magis contra matrimonium quam uxoricidium: & ita ratio procedit ex falsis.

Ad secundum dicendum, quod simpliciter loquendo, gravius peccatum est occidere matrem quam uxorem, & magis contra naturam: quia naturaliter homo matrem reveretur; & ideo minus inclinatur ad interfecionem matris, & prior est ad interfecionem uxoris; ad cujus pronitatis repressionem uxoricidii est matrimonium ab Ecclesia interdictum.

Ad tertium dicendum, quod talis non peccat contra matrimonium, sicut ille qui propriam uxorem interficit: & ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod non est necessarium, quod delera, culpa deleatur omnis poena, sicut de irregularitate patet: non enim poenitentia restituit in pristinam dignitatem, quamvis possit restituere in pristinum statum gratiæ, ut supra distinct. xiv. dictum est.

## EXPOSITIO TEXTUS.

*Uxorem virginem etc.* Intelligitur sub hypothesis; id est, si ad clericatum redire desiderat ad sacerdotium promovendus.

*Sancta Dei Ecclesia gladium non habet etc.* Contra est quod Bernardus dicit ad Eugenium, Lib. IV. de consid. cap. 111. quod Ecclesia utrumque gladium habet. Et dicendum, quod habet spirituale tantum quantum ad executionem sua manu exercendam; sed habet etiam temporalem quantum ad ejus jussionem: quia ejus nutu extrahendus est, ut dicit Bernardus ibidem.

## DISTINCTIO XXXVIII.

## De voto.

**N**unc de voto inspiciamus. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt, proprie fieri debet. Sunt tamen & vota stultorum, quæ frangenda sunt.

## De votorum differentiis.

**S**ciendum vero, quod votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cum spondent renuntiare diabolo, & pompis ejus. Singulare, ut cum aliquis sponte promittit servare virginitatem, & continentiam, vel aliquid hujusmodi. Item singulare votum aliud est privatum, aliud solemne. Privatum est in abscondito factum, solemne vero in conspectu Ecclesie factum. Item. Privatum si violetur, peccatum est mortale: solemne vero violare, peccatum, & scandalum est. Ex Hugone de S. Victore, Lib. II. de sacram. part. xii. cap. 111. Qui privatum faciunt votum continentie, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant. Si tamen contraxerint, non separantur: quia probari non potest quod occulte factum est. Qui vero solemniter vovent, nullatenus conjugium inire queunt; quibus non solum nubere, sed & velle damnabile est. Unde Augustinus, de bono viduitatis cap. viii. „In conjugali vinculo, si pudicitia servatur, damnatio non timetur; & in viduali continentia, & virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur; qua expetita, & electa, & voto oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam non nubatur, nubere velle damnabile est.“ Voventibus enim virginitatem, vel viduitatem non solum nubere, sed etiam velle (1) nubere damnabile est. Quod Apostolus ostendit Timotheo, scribens I. Tim. cap. v. 11. „Adolescentiores viduas devota, cum enim luxuriaræ fuerint, in Christo nubere volunt;“ id est, cum post votum continentie in deliciis egerint vitam, non dico nubunt, sed nubere volunt in Christo; quasi tunc non sit peccatum. Sed quod sit, ostendit subdens: „Habentes damnationem.“ Et quare? Subdit: „Quia primam fidem irritam fecerunt,“ etsi non nubendo, tamen volendo

(1) Al. deest nubere.

do; ut voluntatem quæ a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive sequantur nuptiæ, sive non. Damnatur enim propositi fraus, damnantur tales, quia continentie fidem primam irritam fecerunt, id est votum, vel in voto violato fidem quam in baptismo professi sunt. Si autem pro voluntate nubendi damnantur, constat, si eam effectui mancipaverint, revocandum id esse in irritum, easque (2) coercendas redire ad propositum. Unde Gregorius: (a) „Viduas a proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consulisti, credo te nosse a Sancto Paulo, nisi convertantur, olim esse damnatas: quas & nos apostolica auctoritate damnandas, & a communione fidelium, atque a liminibus Ecclesie arcendas fore censemus, usquequo obediant Episcopis suis, & ad bonum quod ceperunt, invitæ, aut voluntariæ revertantur.“

## De virginibus non velatis.

**D**E virginibus autem non velatis, si devierint, a prædecessore nostro Innocentio Papa tale decretum habemus (b) Hæc quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper simulantur permanere, licet velatæ non fuerint, tamen si nupserint (3) aliquo tempore his agenda poenitentia earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus, nulla ratione dissolvi, quando magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit? Item (ibid.) „Si virgines nondum velatæ taliter publica poenitentia puniuntur, & a cæteris fidelium usque ad satisfactionem excluduntur; quanto magis viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris consilii existunt, & habitum religionis assumpserunt, & deinde apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a nobis, & ab omnibus fidelibus a liminibus Ecclesie, & a cæteris fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ? Ex his appareat virgines, vel viduas voto continentie strictas, sive fuerint velatæ, sive non, nullatenus conjugium sortiri posse. Quod iudem de omnibus intelligendum est qui continentiam voverunt. Quod enim ante erat licitum, post votum fit illicitum. Non est igitur præmittendum quod Innocentius Papa de viduis, & puellis decrevit. (c) „Quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserunt, non eas admittendas esse ad poenitentiam, nisi hi quibus se junxerant, de mundo recesserint. Si enim de (4) hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agenda poenitentia licentia conceditur, nisi unus de illis fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante se immortalis sponso conjunxerat; & post ad humanas nuptias transmigraverit? Attende quod non solum conjugium talibus negare videtur, sed etiam locum poenitentia. Sed non ita intelligendum est, ut aliquando excludantur a poenitentia quæ digne poenitentiam agere volunt; sed illæ non sunt admittendæ ad poenitentiam, quæ ab incestus copula discedere nolunt: quia post religionis propositum non potest Deo reconciliari per poenitentiam quæ ad habitum suæ professionis redire neglexerit. Tunc (5) autem ille cui se conjunxerat, ei defunctus erit, cum ab ejus illicitis amplexibus hæc penitus recesserit. Cum ergo dicitur eas non esse admittendas ad poenitentiam, nisi hi quibus se junxerant, de mundo recesserint, subaudiendum est, eis. Tunc enim eis viri de mundo recedunt, & disjunguntur, cum ab eorum concupiscentia istæ se alienant: quem sensum similitudo subdita declarat, & confirmat.

## Quam grande malum sit adulterium.

**C**UM vir & mulier legitime conjuncti sunt, constat alterum altero vivente ad aliam non posse transire copulam; alioquin adulterium committit: de quo Clemens Papa (a) ait: Quid in omnibus peccatis, adulterio est gravius? Secundum namque in penis tenet locum, quem primum habent illi qui aberrant a Deo. „Gravissime ergo peccat adulteri, graviter fornicarii; sed cunctis his gravius incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Unde Augustinus: (e) „Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur ab incestu: pejus enim est cum matre, quam cum aliena uxore dormire. Sed horum omnium pessimimum est quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio utatur, hoc execrabilius fit in meretrice, sed execrabilius fit in uxore.“

## De illis qui post longam captivitatem redeunt

**H**IC quæritur de illis fœminis quæ putantes viros suos interemptos, vel in captivitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum conjungia transierunt; si illi qui putabantur periisse, remeaverint, utrum eis reddi debeant, & an secundi fornicati sint, & ipsæ reæ adulterii. De hoc Leo Papa sic ait (f) „Necesse est (6) ut legitimarum fœdera nuptiarum reintegranda credamus, & remotis (7) his quæ hostilitas intulit cuique, id legitime reformetur quod (8) habuit: procurandumque est ut recipiat quisque quod proprium est. (9) Nec tamen culpabilis judicetur, & quasi alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse æstimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captivitate ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt; & tamen plena justitiæ est ut eisdem reversis reformentur. Ideoque si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, dimittendum est, & inculpabile ju-

In IV. Sent. Tom. V.

(2) Al. arcendas. (3) Nicolai: aliquanto. (4) Al. de omnibus. (5) Nicolai enim: item al. utrumque deest. (6) Al. ut ad legitimarum fœdera nuptiarum reintegranda redeamus. (7) Nicolai malis. (8) Al. intulit. (9) Al. ne culpabilis.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Bonifacio scribens, ut in Decretis refertur causa xxvii. q. 1. c. Viduas. (b) Nempe ibidem in Decretis c. Hæc vero, & sumptum est ex epis. 11. Innocentii I. ad Victoricium c. xiiii. (c) Ibidem c. Quæ Christo ex epistola superius indicata e. xii. (d) Jacob scribens, ex quo refertur etiam in Decretis causa xxxii. q. vii. c. Quid in omnibus (e) Lib. de bono conjugali c. viii. (f) Epist. lxxvii. c. 1. ac deinceps, & refertur in Decretis causa xxxiv. q. 1. & 2. c. Cum per bellicam.

dicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. (1) Sin autem aliqua mulieres ita virorum posteriorum amore sunt captæ ut malint his cohærere quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandæ, ita ut Ecclesiastica communione priventur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt. Redeat ergo in suum conjugia statum: quia sicut mulieres quæ ad viros suos reverti noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ quæ redeunt, me ito sunt laudandæ. Ex his ostenditur illos qui taliter junguntur ut credant virtum interemptum, per ignorantiam aliquam excusationem habere de peccato; & tantum primam copulam esse legitimam, non secundam: veniam tamen habere, si careant opprobrio malæ voluntatis. Sed si quis relicta in patria sua uxore in longinquam abiens regionem, aliam ducat uxorem, deinde penitentia ductus eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse quæ vivit; nec Ecclesia permittat, quæ quod ille asserit, ignorat: quaeritur, an in hac secunda copula sit conjugium. Sane dici potest, non esse conjugium, & mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo ad primam redire volens, nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam, & timorem de hoc quod poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse numquam poscere debet: & sic de aliis huiusmodi sentiendum est.

## DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de impedimento ordinis, hic determinat de impedimento voti: & dividitur in partes duas. In prima ostendit quomodo impeditur à matrimonio contrahendo per votum quo Deo se obligat, in secunda quomodo impeditur à matrimonio per aliud matrimonium iam contractum, quo se homo uxori obligavit, ibi: *Cum vir, & mulier &c.* Prima in tres. In prima ostendit quid sit votum. In secunda distinguit multiplex votum, ibi: *Sciendum vero, quod votorum aliud est commune, aliud singulare.* In tertia ostendit quod votum, & qualiter matrimonium impedit, ibi: *Qui privatum faciunt votum continentie, matrimonium contrahere non debent.* Et hæc pars dividitur in duas. In prima ostendit quod votum continentie impedit matrimonium. In secunda ostendit quid agendum sit cum eis qui post votum nupsierint, ibi: *De virginibus non Velatis, si deviare rint. . . tale decretum habemus.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit qui debent agere penitentiam. Secundo objicit in contrarium, ibi: *Non est hic præmittendum quod Innocentius Papa de viduis, & puellis decrevit.*

*Cum vir, & mulier &c.* Hic determinat de alio impedimento matrimonii, quod supra dictum est ligamen: & dividitur in partes duas. In prima ostendit quod matrimonium præcedens dum stat, impedit ab alio matrimonio contrahendo. In secunda ostendit quomodo adhuc matrimonio stante, potest esse conjunctio secundi matrimonii sine peccato, quamvis non sit verum matrimonium, ibi: *Hic quaeritur de illis fœminis quæ putantes viros suos interemptos, vel in captivitate, vel ab ungua dominatione numquam liberandos, in aliorum conjugia transierunt.* Et hæc in duas secundum duos casus quos ponit. (2) Secunda pars incipit, ibi: *Sed si quis relicta in patria sua uxore, in longinquam abiens regionem, aliam ducat uxorem &c.*

## QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæst. Prima de voto. Secunda de scandalo, quod alicui voto adjungitur, ut in littera dicitur. De ligaminis enim impedimento idem est querere quod de pluralitate uxorum, & de indivisibilitate matrimonii, de quibus distinct. xxxiii. dictum est.

Circa primum quaeruntur quinque.

(1) Al. Sin aliqua. Nicolai Si enim aliqua. (2) Addit Nicolai: Prima pars incipit ibi: *De fœminis qui viros suos interfeceros putantes &c.* (3) Al. aliterius.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ubi hoc dicit Hugo, non occurrit: nam index hic positus fictitius est, & cap. 111. eam potius definitionem assignat quæ hic nomine Magistri datur, quod nempe votum sit testificatio quædam spontaneæ promissionis, &c.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod votum non sit tantum de meliori bono. Quia illud quod est necessitatis, non reputatur bonum melius, sed commune bonum. Sed de eo quod est necessitatis, potest esse votum, sicut Jacob Genes. xxvii. vovit quod esset sibi Dominus in Deum. Ergo non oportet quod sit de meliori bono.

2. Præterea. Vota quædam sunt de rebus indifferentibus, sicut mulieres præcipue solent vovere, quod non pertinent caput tali, vel tali die. Sed indifferentia non includuntur in bonis melioribus. Ergo votum non est semper de bono meliori.

3. Præterea. Illud quod est illicitum, non est bonum, nedum ut sit melius. Sed de illicito potest esse votum, sicut patet de Jephthe, qui propter votum occidit filiam innocentem, qui, ut dicit Hieronymus, (b) in catalogo Sanctorum ponitur: quia placuit Deo animus vovens. Ergo votum non est semper de meliori bono.

4. Præterea. Meliora bona videntur illa esse de quibus est consilium. Sed de illis qui possunt vergere in periculum personæ, non est consilium, quæ tamen quidam vovent, sicut quod abstineant duobus, vel tribus diebus à cibo, quod sine periculo personæ sustinere non possunt. Ergo votum non est semper de meliori bono.

Sed contra est definitio voti prius posita, scilicet *Votum est promissio melioris boni ex deliberatione firmata.*

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quia etiam ille qui non est sui juris, possit aliquid vovere. Quia obligatio quæ fit inferiori, non potest impedire servitium superiori domino impendendum. Sed per votum aliquis se obligat ad serviendum Deo. Ergo obligatio qua servus est obligatus domino suo, homini tamen, non potest eum à voto prohibere.

2. Præterea. Filius familias est in potestate patris. Sed potest vovere etiam contradicente patre, sicut quotidie fit quod invitis parentibus juvenes in religionibus profitentur. Ergo ille qui non est sui juris, potest votum emittere.

3. Præterea. Nullus est magis in potestate alterius quam monachus qui obedientiam promisit. Sed monachus potest vovere, ut videtur, cum in quibusdam sit suæ voluntatis arbiter: non enim in omnibus tenetur obedire prælaro, ut Bernardus dicit (epist. vii. ad Adamum monachum) sed in his tantum quæ ad religionem pertinent. Ergo &c.

4. Præterea. Uxor etiam est sub potestate viri, ut patet Genes. 111. Sed uxor in quibusdam potest vovere sine consensu viri. Ergo &c.

Sed contra est quod non licet sacrificium ex alieno, Deo offerre. Sed ille qui votum emittit, quodammodo sacrificium Deo offert. Ergo si sit in potestate alterius, non potest votum emittere.

Præterea. Votum cum habeat spontaneam promissionem, libertatem requirit. Sed ille qui est in potestate alterius, non habet libertatem. Ergo non potest vovere.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod *In IV. Sent. Tom. V.*

(1) Forte secundum diversitatem.

EX EDIT. P. NICOL. (b) Quod in catalogo Sanctorum ponit Hieronymus dicit, non occurrit; sed quod si filiam obrulit, non sacrificium placuit, sed animus offerentis, in Hierem. cap. vii.

votum suo nomine obligationem quamdam exprimit ex voluntate factam: & quia voluntate non potest aliquis obligari, nisi ei qui voluntatis est cognitor, quod solius Dei est; ideo ex consequenti importat obligationem Deo factam, & ex consequenti de his quæ ad Deum spectant, cum personæ obligatio alicui facta de his quæ ad Deum non spectant, nulla sit. Obligatio autem huiusmodi exterius fit verbo exterius expresso: unde dicitur Proverb. vi. 2. *Illaqueatus ex verbis oris tui.* Et ideo ei qui cor intuetur, oportet quod fiat obligatio voluntaria interiori verbo: & ideo oportet quod fiat per actum illius potentie cuius est verbum interius enuntiare, quod est rationis: & ideo ipse actus rationis, qui est promissio, est essentialiter votum. Quod enim promissio sit rationis actus, patet tum ex hoc quod est enuntiatio quædam; tum ex hoc quod promittens rem promissam ad alterum ordinat. Omnis autem ordinatio rationis est. Promissio autem exterius facta quandoque dicitur nuda, quando non habet aliquid additum quod obligationem confirmet; & tunc non habet plenam vim obligandi. Similiter etiam promissio interiori facta Deo ad hoc quod plenam vim obligandi habeat, oportet quod non sit nuda; sed habeat aliquid quo confirmetur: & hæc quidem confirmatio per tria gradatim habet fieri. Primo per deliberationem simplicem; secundo per intentionem obligandi se ad certam penam; tertio per hoc quod testimonium hominum adhibetur promissioni interiori: & sic de voto dantur plures definitiones (1) secundum diversa eorum quæ requiruntur ad votum in definitionibus illis comprehensa; & possent adhuc multo plures dari. Definitio tamen quam Magister ponit, videtur esse perfectissima: quia ponit & promissionem, quæ est essentialiter votum; & tangit voluntatem in hoc quod dicitur, *spontaneæ*, quæ est causa obligationis; & confirmationem ultimam promissionis, quæ alias includit in hoc quod dicit, *testificatio*; & voti terminum, quia est actus ad alterum in hoc quod dicit: *Quæ debet Deo fieri*; & materiam in hoc quod dicit, *quod est de his quæ Dei sunt.*

Ad primum ergo dicendum, quod velle aliquid non est vovere; & ideo propositum non est votum, sed enuntiatio illius propositi per modum promissionis: & quia enuntiatio interior conceptio cordis dicitur, ideo in illa definitione ponitur votum esse propositi conceptio. Si tamen simpliciter votum diceretur esse propositum, esset prædicatio per causam, quia propositum est principium voti; sicut etiam quandoque ipsum desiderium oratio vocatur, ut supra dist. xv. dictum est.

Ad secundum dicendum, quod promissio quandoque fit ore, & non corde; & talis quoad Deum non est votum, & ideo oportuit addere *spontaneæ*. Et præterea quamvis homo non possit cogi sufficienter ad simpliciter promittendum, potest tamen cogi coactione quadam interpretativa ad exteriorem promissionem, sicut ad alia opera voluntatis exteriora: non autem ad promissionem interiori, sicut nec ad fidem. Magister autem diffinit votum exterius profatum, quod potest matrimonium impedire: sic enim intendit hic de voto; & hoc votum est testificatio interioris promissionis, non ipsa interior promissio.

Et per hoc patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod votum non fit Sanctis,

(1) Et per hoc patet solutio ad tertium.